Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiæ Mechliniensis, Anni M. DCC. XVIII. Circa Bullam Unigenitus

Archidiocèse <Malines>

Bruxellis, [1719]

Exemplar Responsi Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi Gandavensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40699

Conſtitutionem illam *Unigenitus* non tantùm admiſit, ſed & legitimè publicavit; porrò nullus dubito, quin cum ſummo in Terris Chriſti Vicario, & cum omnibus Orbis Catholici Epiſcopis (paucis in Gallia exceptis) prò ſua auctoritate, & zelo, quo fertur pro conſervanda Fidei integritate, ora loquentium iniqua obſtruere velit, & perenni cultu ſubſcribor. Mechliniæ 2. Novembris 1718. Illuſtriſſimæ, ac Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ. Humillimus, ac devinctiſſimus Famulus. *Erat ſignatum.* THOMAS *Archiepiſcopus Mechlinienſis.*

EXEMPLAR RESPONSI

Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Epiſcopi Gandavenſis.

Illuſtriſſime Domine

MAgno cum gaudio accepimus Literas, quas Excellentia Veſtra tranſmittere Nobis dignata eſt cum adjuncta Epiſtola ſua Paſtorali, quam & Nos libentiſſimo animo ſuſcepimus, eique toto corde adhæremus: Laudandus ſummoperè eſt generoſus zelus Excellentiæ Veſtræ, prò cognoſcendis, & extirpandis zizaniis jam nimis inficientibus Belgium; magnus indè ſperandus eſt fructus, prò quo obtinendo nihil Nos omittemus, atque optamus, ut hoc omnes intelligant. In illum finem non ceſſabimus rogare D. O. M., ut Excellentiam Veſtram diu ſervet incolumem, dum omni ſubmiſſione ſubſcribimur. Bruxellis 18. Novembris 1718. Illuſtriſſime Domine, Excellentiæ Veſtræ, Humillimus, & obſequentiſſimus Famulus. *Erat ſignatum.* P. E. *Epiſcopus Gandavenſis.*